Cum bono DEO.

DISPUTATIO JURIDICA

Agens

De

Jure Fortalitiorum

extruendorum, præsidiorum imponendorum, armandiarum, fœderum, induciarum, & pacis faciendæ.

Quam

Consensu Magnifici JCtorum Ordinis,

&

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AC EXCELLENTISSIMI

DN. CASPARIS ZIEGLERI,

JCti & Antecessoris in hac almâ Leucoreâ longè celeberrimi, Sereniss. Elect. Sax. Consiliarii, Facultatis Jurid. Ordinarii & Senioris, Curiæ Elect. Consistorii Eccles. & Scabinatûs Assessoris gravissimi,

Dn. Patroni & Promotoris sui obseqvioso cultu ætatem proseqvendi,

publicè defendet

In Auditorio JCtorum. Die Sept.

DITTERICUS Schicke/

Eqv. Misn.

Typis MATTHÆI HENCKELII.

ANNO M. DC. LXVI.

Cum bono DEO!

I.

CUi belli gerendi potestatem damus, eidem necesse est, ut largiamur simul omnia, sine qvibus bellum aut non geri commodè, aut componi & finiri non potest. Enimverò non potentiâ tantùm, sed autoritate etiam nititur militia, præsertim postqvam in artem redacta est, & qvibusdam veluti regulis vis inferri atqve excipi cœpit. Ille, qvi hodiè reqviritur, apparatus tantus est, ut vel ex solo eo majestas imperantis æstimetur, & de viribus imperii, qvod se summum gloriatur, judicium fiat. Iste verò si aliqvâ parte defecerit, vicinorum attrahuntur auxilia, & vallis atqve castellis includuntur præsidia, ut vel hâc ratione hostis impetus sisti & frangi possit. Tandem ubi pugnatum & sangvinis humani effusum est satis, de componendis litibus, aut sufflaminandis saltem belli progressibus consilia ineuntur, qvæ saniora fuissent, si ab initio in ea inclinassent animi principum, anteqvam tot hominum cædibus ac strage vires suas probassent.

II. Sed enim uti inter singulos cives nemo facilè alteri cedit, & unusqvisqve causam suam animo subnixo agit atqve tuetur, dedecori sibi esse ratus, nisi ægrè fecerit adversario suo, nec animadvertens interim, fallaces esse fortunæ lusûs, atq; hinc in se reflecti posse, qvod alteri struxit, periculum: Ita etiã inter integras civitates & earum Rectores turpe semper visum fuit, offensam, si qva data fuerit, sine acceptâ satisfactione aut præviâ vindictâ remittere, ut maximè incertus planè sit exitus & dubia belli alea. Isto igitur qvem nunc exposui modo, dum inter se colliduntur Respublicæ, & vires suas adinvicem librant, nova sese exserunt jura, non alii, qvàm illi, qvi majestatem habet, competentia, & summam rerum gerendarum potestatem denotantia. Ecce enim

dum in auxilium rogandus est princeps vicinus, jus fœderis feriendi, dum præsidia disponuntur, ut eò magis cautum sit militi, jus extruendi fortalitia, & muniendi oppida, dum bello condicendæ sunt feriæ, jus faciendi inducias, dum deniqve in gratiam redire & bello finem imponere student belligerantes, jus pacem faciendi resultat. Qvæ omnia qvanqvam sub belli jure generali comprehendantur, distinctim tamen ut à nobis explicentur, operæ erit precium.

III. Initium faciemus à jure fortalitiorum. Id verò ad principem spectare, nemo negabit, qvi qvantum in iis momenti sit, secum perpensum habet. Dum enim munimenta ejusmodi tutissimum semper receptaculum præstant, & ex eo tota inqvietari potest provincia, facilè patet, majestatis interesse, fortalitiorum curam & præsidiorum regimen ut nemo habeat alius, nisi qvi ipsam habet majestatem. Et est sanè principalis hic munimentorum finis, ut hostis grassantis impetum sistant, ejusq; vires sive excursionibus inde factis, sive solâ defensione attenuent, utq; interim exercitus conscribi qveat, qvi hostibus patente campo sufficiens sit. Hic finis cùm ad belli gerendi rationem & methodum pertineat, non potest nec debet ab alio intendi, nisi qvi summam rerum tenet, & belli gerendi potestatem habet. Et hinc est, qvod Divus Marcus rescripsit, de operibus, qvæ in muris vel portis vel rebus publicis fiunt, aut si muri extruantur, præsidem aditum consulere principem debere, *l.6.ff. de oper. publ.*

IV. Disqvirunt civilis prudentiæ Doctores, num ex usu Reip. sit, propugnaculis civitates munitas esse, atqve id argumentum in utramqve partem præ cæteris copiosè tractat Bodinus *de Rep. lib.5. cap.5.* Nec verò negari potest, plus tributum olim fuisse, à Lacedæmoniis præsertim, virtuti inhabitantium, qvàm lapidibus aut lignis, qvibus propugnacula extruuntur; his verò inventis, ignaviam incessisse animos civium creditum est, fortitudine qvasi ejuratâ & proscriptâ. Qvod si porrò consideretur, qvàm fluxa sæpè sit fides præsidiorum, cui securitas hæc innititur, & qvàm facilè inclinari possint animi militum, ubi receptacula hæc intuentur, ut à fide datâ deficiant, & rebellionem inter se concitent, id qvod factum non uni testantur annales, unusqvisqve agnoscet, multum decedere securitati, qvæ speratur, per suppositum

tum periculum. Ut taceam jam, qvantis impendiis & ſtipendiis opus ſit, ut & excitentur & conſerventur ejusmodi latebræ, qvæ, niſi qvotidianâ operâ reparentur, ſæpè concidunt, & urbem tale qvid non metuentem turpiter proſtituunt. His accedit, qvod ubi in hoſtium poteſtatem loca ejusmodi munita venerint, difficilior & gravior tempeſtas immineat Reip. qvàm in patente provinciâ. Hanc enim, ubi ſatis populati fuerint agri, & direpta ſupellex, deſerere tandem cogentur hoſtes, aut ut ſaltem ejici facilius poterunt; illa autem pertinaciter retinebunt, & inde damnum dabunt qvaſi infinitum & perpetuum. Ut proinde minus utile videatur civitatibus & populis, fortalitia habere, & in eis ſecuram ſtationem affectare.

V. His tamen neqvicqvam obſtantibus præſtat aſſerere, non exiguam in locis munitis contineri Reipubl. ſalutem. Uti enim inter privatos nemo eſt, qvi non cupit ſecuritatem, ut ſibi & ſuis in tuto eſſe liceat, & tugurium ſuum in eum finem peſſulis & repagulis obfirmat: ita privati multi, poſtqvam ædificia junxerunt, non minus ſtudent, ut ſocietati & univerſitati ſuæ, qvantum facultates cujusqve ferunt, ſecuritas comparetur, neve cujusvis petulantiæ expoſiti proſtent. Nec enim belli tantùm tempore munitio talis neceſſaria eſt, ſed etiam tùm qvando nulli ſunt hoſtes, qvi nobis aut qvibus nos publicè bellum decrevimus, cùm ſemper ſint, qvi bonis noſtris, & propter ea etiam vitæ inſidiantur. Multis latronibus olim poſt bella civilia in Italiâ graſſantibus, eos Auguſtum inhibuiſſe ſcribit Svetonius, diſpoſitis per opportuna loca ſtationibus, i. e. militibus ſtationariis, & qvi eis præeſſent, latrunculatoribus. Talia autem præſidia & ſtationarii milites, cùm ubiqve haberi non posſint, & ingentes inſuper ſumptûs reqvirant, præſtat mœnibus, aut qvibuscunqve munimentis latronum irruptiones inhibere. Sanè nudata mœnibus civitas non expoſita tantùm eſt pesſimorum hominum libidini & direptioni, ſed etiam illecebra qvædam eſt, ultrò latrones invitans, hoſtes provocans. qvibus compeſcendis non alia ſuppetunt media, qvàm ut foſſa valloqve ſepiatur civitas. Imbellia autem & ignavia, qvam inde inter cives contrahi nonnulli cauſantur, nullo planè firmatur argumento. Qvis enim imbelles aut ignavos dicet illos, qvi vim & irruptionem exercitûs vicies, qva-

dragies, imò centies qvandoqve numerosioris, sustinent & coërcent? Referunt Pannoniæ annales, qvantum temporis & virium in unâ aliqvâ urbe aut arce expugnandâ consumpserit Turcarum Tyrannus. qvæ nisi impetum ejus remorata fuisset, diu jam ejus libidini & direptioni ad extremas suas oras patuisset Germania. Conf. Forstner. *in Tacit. p. 175.* Sed nec soli Viri sunt, qvi civitatem constituunt, nec inter eos etiam, omnes ejusdem roboris. Partem faciunt mulieres, partem infantes, partem ægri, partem senes, qvorum omnium salus in parietibus qværenda est, non sufficientibus aliàs in custodiam civibus reliqvis. De fluxâ autem præsidiorum fide, de impensis in propugnacula faciendis, deq; contumaci hostium, sicubi talia occupaverint, insessione, qvæ moventur, talia sunt, ut confiteri oporteat, qvod de mulieribus nonnulli dixerunt, neq; cum illis, neq; sine illis tutam esse Remp. & nihil tàm utile esse, qvod non aliqvod subinde damnum comitetur. Sufficit autem finem intentum, qvi est salus & securitas Reip. ἐπὶ τὸ πλεῖστον obtineri, & ἐκ παραλόγου fieri ista, qvæ objiciuntur, qvippe qvæ & aliàs in civilibus parùm attenduntur. *l. 3. ff. de LL.* & ingenio atqve prudentiâ humanâ sæpè evitari possunt. Cæterùm de totâ hac controversiâ jam suo ævo sollicitus fuit Aristoteles *l. 7. polit. c. 11.* ubi priscè h. e. stultè nimis judicare ait de rebus, qvi muros urbibus circumdari vetant.

VI. Cùm autem omne civitatis factum, qvod publicam causam attingit, ex principis concessione dependeat, ex munimentis autem & propugnaculis hodiè imperii & omnium civium securitas maximam partem æstimetur, facilè hinc patet, nec civitatem qvidem, qvantacunqve ea sit, sine permissu & concessione principis urbem suam vallare posse. Conseqvens hinc est porrò, nec civem qvidem, qvi princeps non est, qvantâcunqve potentiâ & autoritate polleat, municipia sua, villas aut prædia inconsulto principe munire posse. Non ignoro, simpliciter à qvibusdam statui, qvod omnibus in solo suo ædificare liceat fortalitia sine licentiâ à principe impetratâ, pro tuitione sui & rerum suarum, qvos refert & seqvitur Nicolaus Boërius *decis. 320. n. 4.* Sed ista sententia parum habet roboris, tantum abest, ut assensum extorqvere possit. Præcipuũ argumentum sumitur ex *l. 10. C. de ædif. privat.* ubi Honorius & Theodosius Impp. ita rescribunt: *Per provin-*

cias

cias Mesopotamiam, Osdroënam, Euphratensem, Syriam secundam, Phœniciam, Libanensem, (leg. phœnicem Libanensem aut Libani) *Ciliciam secundam, utramq; Armeniam, utramq; Cappadociam, Pontum Polemoniacum, atqve Hellespontum* (Hellenopontum) *ubi magis hoc desideratur, cæterasq; provincias cunctis volentibus permittatur murali ambitu fundos proprios, seu sui loca dominii constituta vallare &c:* Nihil in his verbis est, qvod juvare possit sententiam contradicentium. Primùm enim occasio hujus rescripti ostendit, propter latrones tantùm & grassatores, qvibus istæ provinciæ maximè expositæ erant, vallationem ejusmodi fuisse permissam. Siqvidem jam ante à Valentiniano, Theodosio & Arcadio Impp. defensores civitatum jussi erant ferventem latronum insaniam compescere *l. 6. C. de defensor. civitat.* qvam legem Constantinopoli & ad orientalis imperii partes latam ostendit subscriptio ejus in Cod. Theodos. *l. 3. eod.* Constituti etiam erant olim Irenarchæ, ut à latronibus tutam præstarent provinciam; sed illos iidem Imperatores, qvi legem *10. C. de ædif. priv.* ediderunt, Honorius nempè & Theodosius paulo ante è medio sustulerant, *l. un. Cod. Theodos. de Hirenarch.* Cùm ergò per horum sublationem, & qvod defensores civitatum non sufficerent, indies multiplicarentur Latrones, ut suo qvisqve civium prædio securitatem aliqvo muro compararet, licentiam dederunt iidem Impp. Deinde nec omnibus ea potestas data est, sed tantùm habitatoribus nominatarum provinciarum, qvippe qvæ maximè ejusmodi incursionibus afflictæ erant. Qvod si generaliter omnibus Imperii Romani civibus idem permittere animus Imperatoribus fuisset, qvorsum specialiter fecissent mentionem earum provinciarum, qvæ partem tantùm constituunt Imperii Orientalis? Nec movet, qvod generalia addita inveniantur verba: CÆTERASQVE PROVINCIAS &c: Hæc enim intelligenda sunt de illis cæteris provinciis, qvæ erant sub Vicario Ponticæ, qvales erant Provincia Paphlagonia correctorialis, Galatia Consularis, Bithynia consularis, Honorias & tandem Galatia salutaris. Cùm n. totius Orientis provinciæ à Constantino M. ita distributæ essent, ut aliæ sub Comite Orientis, aliæ sub præfecto Augustali, aliæ sub proconsule & Vicario Asiæ, aliæ sub Vicario Ponticæ, & aliæ sub Vicario Thraciarum gubernari deberent, Ho-

norius& Theodosius in textu nostro ex quindecim provinciis, quæ sub Comite Orientis erant, sex tantùm, Mesopotaniam sc. Osdroenam, Euphratensem, Syriam secundam, Phœnicem Libani, & Ciliciam secundam, ex undecim verò illis, quæ Vicario Ponticæ parebant sex tantùm, utramqve scil. Armeniam, utramqve Cappadociam, Pontum Polemoniacum, atqve Hellenopontum nominat, ex aliis verò sex, qvæ sub præfecto Augustali, & aliis decem, quæ partim sub proconsule, partim sub Vicario Asiæ, & ultimis sex aliis, quæ sub vicario Thraciarum erant, planè nullius facit mentionem, ut credibile sit, per cæteras illas, quas generali nomine dicit, non alias intellectas voluisse, quàm illas, quæ sub eodem cum proximè nominatis complexu erant, qvæqve cum illis à Vicario Ponticæ gubernabantur. Fidem hujus rei facit, qvod reliqvæ nominatæ omnes contiguæ aut non multum dissitæ sint terris Persarum & Arabum, à qvibus ejusmodi invasiones repentinæ fieri solebant, cæteræ igitur, quas intellectas volunt Imperatores, ejusdem qualitatis esse debent, h. e. confines aut Persarum aut Arabum terris. Quin si maximè aliæ adhuc intelligi deberent, non tamen extra orientis imperium ex mente legis latoris concessio ista extendi posset; qvi enim in Oriente erat Imperator, occidentali Imperio neqve leges neqve privilegia dandi potestatem habebat, ut alibi ostendi. Constantinopoli igitur qvia scripta hæc est concessio, Theodosium solum habebit autorem, orientalis imperii moderatorem & monarcham, & ad solos hinc pertinet orientalis imperii cives. Etsi autem Justinianus Imperator per Codicem à se editum universales voluerit esse leges in eo contentas; qvia tamen nomina provinciarum retinuit, uti ea ab Honorio & Theodosio recensita fuerant, etiam ex Justiniani voluntate non aliis datam istam potestatem, colligere licet.

VII, Demus autem, omnibus in universum, qvotqvot imperii Romani cives sunt, licentiam hanc concessam fuisse, ex materiâ tamen & objecto concessionis nihil omninò inferre licet ad propugnacula & munimenta, qvæ adversus hostium impetum extruuntur. Dicitur enim in textu: cunctis volentibus permitti, MURALI AMBITU fundos proprios, seu sui loca dominii constituta vallare. Qvi muralem ambitum permittit, non illicò dat

pote-

poteſtatem extruendi fortalitium; imò ne qvis tale extruendi captet inde occaſionem, cautè loqvuntur Imperatores, dum non muros ædificandi dant poteſtatem, ſed muralem ambitũ, cùm per illos facilè intelligi poſſent tales, qvi juſtam adverſus integrum exercitum præbere valerent defenſionem, per hunc autem ſola intelligitur facta conceſſio defenſionis adverſus vim & invaſionem repentinam & ſubitariam latronum. Qvibus igitur muris & mœnibus vallare licet civitatem, etiam turres & propugnacula addere poſſunt, uti id Honorii & Theodoſii ætate in uſu fuiſſe patet ex *l. 17. C. de op. publ.* Qvibus autem murali tantùm ambitu prædia ſua vallare permiſſum eſt, turres & propugnacula addere minimè poſſunt. Obiter noto, minus mihi probari opinionem Jacobi Werneri Killingeri de Ganerbinatu *diſcurſ. 4. num. 123.* qvem refert Limnæus *lib. 4. cap. 8. num. 234.* muralem illum ambitum in eum finem conceſſum eſſe, ut aqvarum effluxus & inundatio ab agris & frugibus arceri & prohiberi poſſet, omnes enim iſtas provincias, qvæ in ſæpè dictâ *l. 10.* enumerantur, vel mare ipſum, vel majora flumina vicina habere. Primùm enim textus nihil omninò habet, qvod veriſimilem reddere qveat hanc ſententiam. Deinde inundationes aqvarum & excursûs nondum ſatis ſunt probati. Tertiò non tàm murali ambitu cujusqve prædii ſingularis, qvàm aggeribus ad aqvas poſitis excludi ſolent aqvæ. Et qvartò non fuiſſet iſta poteſtas reſtringenda ad provincias ſpeciatim nominatas, ſed cùm plures adhuc mare adjacens, aut flumen contiguum habeant, illis hæc poteſtas non potuiſſet invideri.

IIX. Sed ut omnia concedamus, etiam muros & propugnacula cuivis in ſuo ædificare licere per hanc conſtitutionem, nondum tamen hinc ſeqvitur, licere id propriâ autoritate. Qvod enim permittitur, ex permiſſione licet, non licitum aliàs, niſi permiſſum fuiſſet. Ergò qvia permiſſum eſt, autoritate permittentis licitum eſt. Et ſic Imperatorum autoritate fundos ſuos murali ambitu vallarunt incolæ Meſopotamiæ, Osdroenæ &c: Hanc verò permiſſionem, qvi non impetravit, & fundum ſuum tali munimento firmat, ut bellicam vim ſuſtinere qveat, majeſtatis crimen ſi non protinus committit, valdè tamen ſe ſuſpectum reddit, qvod cupidus rerum novarum & ſeditionis materiam præbere videatur;

Hoc

Hoc enim casu privato ædificare & sine principis autoritate opus novum facere planè prohibitum est, *l. 3. ff. de oper. publ.* Qvæ porrò adversus hanc sententiã de defensione jure naturali concessâ, deqve domo, qvæ cuiqve tutissimum sit refugium & receptaculum, disputantur, facilè diluuntur, si ex superioribus inter muralem ambitum, & muros, sive inter defensionem adversus grassatores & latrones, & eam, qvæ adversus vim bellicam paratur, distingvas. Illa enim nullô jure videtur prohibita. Hæc autem ex principis voluntate dependet, & ex belli jure æstimatur, cujus privati sunt incapaces. Qvocirca vitio verti neqvit Imperatori Claudio, qvod suspicatus Judæos molituros aliqvid novi, Agrippam, ne in muniendâ Urbe Hierosolymitanâ pergeret, prohibuit, apud Joseph. *l. 19. antiq. cap. 7.* ut maximè regiâ dignitate Judæam gubernaret Agrippa. Et qvi nunc rerum potitur Rex Galliæ haud frustra in Fuqvetum suum animadvertit, postqvam de fortalitio per eum extructo certior factus fuisset. Qvod si verò ex pluribus privatorum munimentis majorem Reip. securitatem induci persvasum habes, oppidò te falli experientiâ duce animadvertes. Hâc enim ratione etiam Stephanus Rex Angliæ, ut subditorum favorem sibi compararet, & adversus Henricum II. se magis tutum redderet, promiscuè unicuiq; in suo castella extruendi muniendiq; potestatem concesserat; sed postqvam eos inde obstinatiores factos animadvertisset, permissionis eum pœnituit, & in eversionem talium castellorum Henrico II. facilè consentit, uti ex Wilhelmo Malmesbur. refert Limnæus *l. 4. c. 8. n. 229.*

IX. Manet igitur, privato non competere potestatem extruendi fortalitia sine principis permissu. Sed qvid dicemus de universitate, qvæ multos privatos comprehendit, qvæqve majora habet privilegia, qvàm singuli in eâ? Et tali universitati potestatem muros faciendi tribuit glossa in *l. 9. ff. de R. D.* & *in l. 3. ff. de op. publ.* Eam seqvuntur Petr. Jacob. Aurelianens. in append. ad Petr. de Ferrariis praxin *rubric. 28. num. 2.* Rolandus à Valle *consil. 84. num. 9.* Casp. Klock *de contribut. cap. 9. num. 24.* Henricus Bruning *de var. universit. specieb. num. 49.* Nobis id non videtur, præsertim cùm generaliter dicatur in *d. l. 9.* Muros municipales nec reficere licere sine principis vel præsidis autoritate. Lege igitur non

non distingvente cur nos aliam privatorum aliam universitatis fingere debeamus conditionem, nulla ratio apparet. Nec enim plus potest universitas principi subjecta, qvàm singuli, in iis scil. qvæ majestatem & regimen publicum concernunt. Et tàm ex universitatis, qvàm singulorum ædificiis materia seditionum præberi potest, ut ex hoc facilè appareat, adhuc interesse principis, ne qvicqvam à civitate aut universitate usurpetur, qvod adversus securitatem & pacem publicam facere possit. Et in hanc sententiam descendit etiam Petrus Ant. de Petra *de pot. princ. cap. 8. num. 18.*

X. Qvandoqvidem igitur uni principi, sive illi qvi summum in Rep. tenet imperium potestas hæc competit, qvousqve ea competat, nunc est videndum, & utrum licitum sit, in qvàvis territorii sui parte, etiam in finibus juxta vicini territorium munimenta & fortalitia extruere. Ad cujus rei decisionem multum facit, consideratio *αὐτοκρατορίας* in principe, & qvod ipse in se summus, nec alterius imperio subjectus sit. Si enim prohiberi id ab alio posset, jam non summus esset amplius, sed ad prohibentis imperium adstrictus, atqve sic multum de majestate decederet. Deinde non minor principi in suo territorio competit potestas, qvàm competit privato in suo fundo. At privatus habet libertatem in suo ædificandi, ut lubet, etiamsi vicinus damnum inde aliqvod sentiat *l. 24. §. fin. & l. 26. ff. de damn. inf. l. 1. §. 12. & l. 21. ff. de aq. & aq. pluv. arc. Cæpoll. de servitut. rust. præd. cap. 4. num. 51.* Denegari ergò id principi neqvit. Cumqve privatus potestatem habeat tuguriolum suum, qvantum ejus conditio fert, muniendi, qvidnî principi idem liceat in territorio suo, & quidem ita, ut principem decet?

XI. Eruditè hoc argumentum tractat, sed ex adversâ magis parte Albericus Gentilis *de jur. bell. lib. 3. cap. 21.* Vult, non licere principi arces ædificare in finibus, qvia castra admovere alienis veluti foribus non videtur justum, etsi in suo. Qvæso ego, annon hæc est à diversis & planè separatis argumentari? idqve ut clarius pateat, nego, ad eundem finem collineare ædificationem fortalitii & admotionem castrorum: ex illâ defensio, ex hâc ho-

 stili-

ſtilitas directè colligitur. Ut maximè enim ex fortalitio damnum dari vicino poſſit, id tamen præſumere in dubio non licet. Et hinc rectè Grotius arces in finibus ſtructas tùm demum inter argumenta pacis ruptæ refert, ſi non tuendi ſed nocendi gratiâ ædificatæ fuerint, *lib.3.de jur.bell.ac pac.cap.20.num.40.* qvia ſcil.aliàs principalis earum ſcopus eſt, ut provinciam tutam præſtent. Nec verò qvod vicinus ſibi inde aliqvod damnum metuit, ſufficiens eſt cauſa intermittendæ ædificationis, ut jure, qvod in ſuo habet, privari debeat princeps alter. Nec etiam ex nudâ hâc ædificatione belli cauſa captanda eſt, ut vult Gentilis, cùm non ſufficiat qvaliscunqve ſuſpicio aut præſumptio, ſed neceſſe eſt, ut conſtet non tantùm de ædificantis potentiâ, ſed & de animo, & qvidem ita conſtet, ut certum id ſit eâ certitudine, qvæ in morali materiâ locum habet. Hug. Grot. *lib.2.cap.22.n.5.* Conveniſſe tamen aliqvando principes dicit Gentilis, ut hæc fieri in finibus utrinqve poſſent. Rectè; & hoc ſufficit, qvod ex tali ædificatione hoſtile qvid argui principaliter neqveat. Nec tamen inferendum inde, non licere ædificare, niſi propter conventionem. Conventio enim illa nihil dat novi, ſed hoc tantùm præſtat, ne vicinus de facto impediat, qvod impedire jure non poſſet, neve ex illâ ædificandi ratione in ſuſpicionem adduci ſe patiatur.

XII. Pergit tamen Gentilis, non licere ædificare ad æmulationem alterius, per *l.3.ff. de op.publ.* Sanè non licet. Sed hoc falſum eſt, caſtella aut munimenta ejusmodi ſemper ad æmulationem ædificari, qvanqvam ex hoc principio plurimi alii poteſtatem hanc principis impugnent. Gail. *l.2.obſ.69.num. 18.* Cardo negocii verſatur in eo, ut rectè explicetur, qvid ſit, *ad æmulationem alterius ædificare.* In hoc nempè conveniunt pleriq; omnes, ad æmulationem & malitiosè ædificare eum, qvi nullam exinde capit utilitatem neq; ad ſe neqve ad alium, cui hoc beneficium præſtat, reſultantem. Fernand. Vaſqv. *lib.6.controv. c.58. n.30.* Stephan. Gratian. *diſcept.forenſ.c.745.num.37.* Antonius de Padilla *ad l.altius C. de ſervitut.num.22.* ubi tamen de procuratâ utilitate tertii diſſentit. Sed verò qvis diceret, nullam pervenire utilitatem ad eum, in cujus ſolo fortalitium extruitur? In principe enim dum publicam gerit

gerit personam, publica etiam utilitas est attendenda, qvæ hîc salus est & securitas civitatis, qvam regit. Et qvanqvam ille etiam ad æmulationem ædificare dicatur, qvi plures impensas facit, qvàm fructus inde percepti ferunt, ut notat Gratianus *d. l. num. 39.* plerumqve autem fortalitia cum suis præsidiis multas & magnas impensas reqvirant; si tamen comparatio instituatur inter impensas ita factas, & fructûs securitatis inde resultantes, potior horum erit ratio, qvam illarum, non obstante, qvod securitas ea obtineri semper non possit, cùm actiones morales ex finibus dijudicentur, non ex eventibus.

XIII. Seqvitur autem Gentilis Baldum nostrum, qvi concurrere vult & intentionem ædificantis, & aptitudinem vel actum nocendi, ad id, ut qvis ad æmulationem ædificare dicatur. Rectè & hoc, qvia in actionibus indifferentibus animus & intentio agentis est spectanda. Qvod si igitur eo animo fortalitium ædificat princeps, ut vicinos ex eo impugnare possit, ad æmulationem id fieri nolim negare, & hoc illicitum esse, unà cum Gentili sentio. Sed unde vicinus princeps certus erit, ædificari fortalitium hoc animo? Præsumptio qvidem non levis est, si ædificans soleat esse injurius in vicinos, atqve proclivis in eorum contemptum, Ant. de Padill, *d. l.* fortior adhuc ea, si minatus est vicino, Petrus Ant. de Petra *de pot. princ. c. 8. num. 11.* nunqvam tamen directè hanc ex se parit suspicionem structura fortalitii. Qvocirca ut de animo & intentione ædificantis in hoc casu certius constet, non errabit vicinus, si per legatos eum explorare faciat, & innoxiam cautionem petat, Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 1. num. 17.* qvam si renuit ille, haud vanam præbet suspicionem malè affecti animi, & hinc rectè defensionem parabit vicinus. Robert. Sharrok *de offic. c. 3. n. 9. 10.* neqve prohibetur hoc casu aliud fortalitium ex adverso ad propulsandam æmulationem extruere. Nicol. Boër. *decis. 320. num. 16.*

XIV. Qvod verò ulterius arguit Gentilis, etiam tùm ad æmulationem videri factum, qvando non necesse est fieri, & qvando fieri potest aliter absqve vicini injuriâ, in eo partim principium petit, nempe in vicini injuriam fieri ejusmodi munimenta, partim

etiam publicæ rei conditionem non satis attentè considerat. Nec n. in Rebuspublicis necessitas tantùm, sed etiam utilitas rem agendam commendat, neqve ea tantùm sectari tenetur princeps, quæ necessaria sunt, sed etiam qvæ utilia. Imò verò etiam necessarium est, habere territorium in finibus suis ejusmodi fortalitia. Etsi enim nullus de præsenti sit metus à vicino, qvo cum summa mihi pax est, potest tamen aliqvando talis oboriri, & tùm verò serum nimis est de fortalitio extruendo cogitare. Vid. Roland. à Valle *consil. 84. num. 7.* Ut jam taceam, non semper propter vicinos arces ædificari, sed etiam propter remotiores, à qvibus periculum aliqvando metuitur. Et hinc malè rebus suis prospicit, qvi præsenti securitati confisus, nullas de futuris insultibus suscipit cogitationes cum nulla tamen tàm beata unqvam extiterit provincia, qvæ non iteratò & sæpius ab hostibus fuerit afflicta.

XV. De aptitudine nocendi ita seorsim tenet Gentilis, ex ædificio apto nocere causam justam esse belli & discedendi à fœdere, eò qvod hostes sint, qvi apparatum faciunt, ut nos oppugnent. At recidit hâc argumentatione Gentilis in suum istud principium, ideò extrui fortalitia ut vicinis noceatur. Qvod uti ex intentione ædificantis dijudicari debet, ita in dubio id non præsumi jam ante dixi. Nec ergò justa belli causa statuitur, si vicinus nullâ pactione impeditus in suo arcem faciat aut munitionem aliam, qvæ damnũ aliqvando dare possit. Nam adversus tales metus contrariæ in suo munitiones & si qva sunt similia remedia qværenda sunt, non vis bellica. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 22. num. 5.* Concedam Gentili, paci contravenire, qvi metum infert, at nego, per fortalitia qvà talia vicino metum inferri. Metum si is inde sine aliâ causâ concurrente concipit, sibi imputet, qvi meticulosus cùm sit, levissima qvæqve facilè in argumentum rapiet fractæ pacis. At de rebus, ut sunt, judicandum est, non ex affectu, sed defæcato judicio & sincerâ animi attentione.

XVI. Id restat, ut consideremus, cujus sumptibus ædificari & refici debeant fortalitia. Ætate Arcadii & Honorii urbium singularum incolis hoc onus imponebatur, ut ad constructionem

ope-

operis publici conferrent pro viribus, uti patet ex *l.11. Cod. de o-per. publ.* eamqve sententiam adhuc observari debere contendit Joh. Georg. Bechtius *de secur. & salv. cond. num.50.* add. Klock. *de contribut. cap.9. num.24.25.* Sed iidem tamen Impp. paulò ante tertiam partem de reditibus fundorum juris reip. reparationi deputarant, *l.10. C. eod. 3. C. de diversf. præd.* Et hinc duas tertias redituũ publicorum fisco, reliqvam tertiam construendis & reparandis mœnibus & ædificiis publicis addici debere, statuit Rolandus à Valle *consil. 84. num. 14.* qvandoqve turres eorum usui deputabantur, per qvorum fundos murus ductus erat, ut tamen illi reparationis onus in se reciperent *l. 17. Cod. de oper. publ.* Sed hodiè turres, muros & propugnacula ad civitatum munitionem in privatorum agris extructa publico sumptu reparari, dicit Sim. à Grœnewegen *ad d.l.17.* qvæ ipsi & aliis est lex 18. Imò verò & ædificationem & reparationẽ propugnaculorũ & munimentorũ Principis ex marsupio fieri debere pleriq; omnes hodiè statuunt juris Doctores, Joh. Garf. *de expensf. & meliorat. cap. 21. num.30. seq.* Petr. Anton. de Petra *de potest. princ. cap.8. num.19.* Petr. Jacob. *rubr. 29. num.3. in append. ad prax. Papiensf.* propter rationem, qvod princeps teneatur subditos defendere, qvodq; in eam rem accipiat annuum censum & tributa. Qvod si verò marsupium & reditûs principis non sufficiant, ad collectas civium deveniendum esse, & ex eorum facultatibus munimenta fieri debere constans est eorundem Doctorum assertio. Sed enim si rectè res & sententia hæc æstimetur, in effectu omne hoc onus expensarum ad subditos devolvitur. Dum enim ex censu & tributis expensas fieri, & si qvid deest, per novam collectarum indictionem suppleri volunt, non ad alios pertinebit hoc onus, qvàm ad subditos. Nec verò ideò dantur tributa, ut principis inde patrimonium augeatur, nisi expresśè id dictum fuerit, sed ut potestates publicæ habeant, unde sumptum faciant ad bonos tuendos ac coërcendos malos, *Rom. XIII, 3.4.6.* Manet igitur pecunia ea publica, nec in alios usus vertenda est. Et qvando ex eâ pecuniâ sumptus facit princeps in usus publicos, non ex proprio eos facit marsupio, uti putant allegati Doctores, sed ex pecuniâ publicâ. Add. Fernand. Vasqv. *l.1. controv. ill. c.6.*

XVII. Qvæ diximus hactenus de jure fortalitiorum extruendorum, ea locum inveniunt etiam in jure præsidiorum imponendorum. Nec enim alius est fortalitiorum usus, nisi ut per præsidia defendantur, & inde securitas civitati salva præstetur. Soli igitur principi jus constituendi milites præsidiarios competit, qvippe cui soli jus belli & pacis tribuendum est. Casp. Klock. *de contribut. cap. 7. num. 117.* Et interest principis nosse, qvi & qvot castris imponantur milites, cùm ex ipsorum fide aut perfidiâ multum vel utilitatis vel damni sentiat Respublica. Stipendia autem eis præstanda itidem ex tributis petuntur. Ad hoc enim tributa præstamus, inqvit Augustinus, ut propter necessaria militi stipendium præbeatur, *l. 22. contr. Faust. cap. 74.* & Tacitus non malè: *Neqve qvies gentium sine armis, neqve arma sine stipendiis, neqve stipendia sine tributis haberi qveunt. lib. 4. hist.*

XVIII. Ejusdem conditionis est jus armandiarum, uti vocatur *2. F. 56.* qvod etsi diversimodè exponatur, ab aliis de vectigali ex armentis percepto, ab aliis de eo, qvod pro licentiâ armorum fabricandorum penditur, ab aliis aliter, communius tamen hodiè vocabulum istud de officinis publicis accipitur, in qvibus arma fabricantur & reservantur. Gothofr. Anton. *disp. Feud. 3. n. 7.* Dn. Tabor *de jur. arm. c. 1. n. 3.* Qvandoqvidé autem in armis maxima vis & potentia, tùm & securitas Reip. consistit, jus totum, qvod circa arma versatur, principi ut tribuatur, majestatis jubet ratio. Eaq; propter poterit princeps & adimere arma subditis & permittere, qvatenus vel studia eorum & propensiones vel aliæ circumstantiæ patiuntur. Anton. Perez *Cod. ut armor. usus &c.* Armandiæ tamen ipsæ h. e. officinæ tales, in qvibus arma ad usus bellicos reservantur, ut & tormenta majora privatis planè non sunt concedenda, nec universitatibus aliter, nisi qvatenus causa imperii publica per eas est defendenda. Sed de totâ hâc materiâ copiosè differit Dn. Tabor *in armamentar. Justinian.* ad qvem cupidum Lectorem remittimus.

XIX. Pergimus nunc ad jus faciendi fœdera, qvod qvam necessarium sit in Rep. satis cognitum habent ii, qvi rerum gubernacula tenent. Cùm enim nulla provincia sibi tam sufficiens

sit,

ſit, ut non aliqvando alterius ope & auxilio indigeat, ipsâ naturâ duce inter duas pluresve Resp. conveniri ſæpè ſolet vel de commerciis invicem habendis, vel de auxilio ſive mutuo ſive etiam ex unâ tantùm parte præſtando. Duæ igitur inprimis cauſæ ſunt, qvæ gentes ad fœdera contrahenda impellunt, indigentia ſcil. & necesſitas, ſed qvæ invicem ita ſunt connexæ, ut ferè unam conficere videantur, ſive indigentiam eam dixeris, ſive necesſitatem. Iſtud enim, qvo indigemus, neceſſarium etiam eſt, nec neceſſarium qvid dici poteſt, niſi necesſitatem illam induxerit indigentia. Indigentia tamen ad commercia magis refertur, necesſitas ad defenſionem contra vim externam, aut ad repetitionem ejus, qvod nobis debetur. Qvod commercia attinet, videtur natura bono conſilio non omni terræ dare voluiſſe omnia, ut tantò arctius ſibi jungerentur gentes, & mutuis ſubſidiis ſe invicem juvarent. Idq; qvâ ratione fieri posſit aut debeat, ſingulari exercitatione erit explicandum. Nunc enim non alia de commerciis ad nos pertinet tractatio, qvàm qvà confœderationes propter ea fieri ſolent. Ut autem injuriæ propulſentur, aut damna data reſarciantur, bellicâ vi opus eſt, qvâ ſæpè minus inſtructa eſt Reſpublica. Cumq; hinc fieri posſit, ut potentiâ majorum & iniqvitate, populi imbecilliores opprimantur, non aliud remedium ſupereſt, niſi ut in auxilium vocentur alii, qvi vires addant, & hoſti pares aut etiam ſuperiores faciant.

XX. Qvemcunqve verò in finem fœdera ineantur, Reip. intereſt, ut id fiat autoritate ejus, qvi τὸ κύριον tenet. Etſi enim commercia & negociationes non ſemper nomine publico, ſed à privatis plerumqve privatâ autoritate exerceantur, ſi tamen propter commercia fœdus contrahendum eſt, qvia tùm publicum geritur negocium, qvod Reſpublicas inter ſe certâ conventione jungit, non debet id fieri aliter, niſi interveniente autoritate ejus, qvi ſummum tenet imperium. Et hoc eſt ſcilicet, qvod in fœdere Hanſico, per qvod commerciorum maritimorum cauſâ plurimæ tùm in Romano Imperio, tùm extra illud civitates coiverunt, maximè reprehenditur, coiviſſe ſcil. tam ingentem ſocietatem nullâ autoritate publicâ. Id verò ſi factum fuiſſet, majora

jora

jora adhuc aut saltē magis firma incrementa illi accedere potuisse haud frustrà ominantur permulti. Et profectò principibus suspectum esse potuisset ejusmodi fœdus, nisi suas qvoqve civitates in illud recipi animadvertissent, & lucri expectatio omnem suspicionem sustulisset. Hinc enim factum, ut à multis principibus pro urbibus suis in Hansæ jura recipiendis intercederetur, qvod qvisqve eas omni commerciorum genere florentissimas esse cuperet. Qvanqvam verò successu temporis multa & magna securitas atqve autoritas fœderi huic ab Imperio & Regibus aliis concessa sit, ex qvo confirmatum id, & ex privato publicum factum haud temerè concludunt nonnulli. Vid. Knipschild *de civitat. Imper. cap. 4.* ne sic tamen collegium istud tueri se adversus hostes sufficienter poterat, qvippe qvod ipsæ solæ civitates excipere vim omnem exterorum populorum cogerentur, qvibus repellendis nec sufficientes erant semper, nec eum in finem sociatæ ab initio fuerant, ut adversus integros exercitus συμμαχίαν facerent. Etsi enim, ut commercia salva haberi possent, adversus piratas & latrones agere eosqve vi armatâ perseqvi Hansicæ societati jus esset; Si tamen gens aliqva non intra piratarum ampliùs & latronum numerum constitisset, sed integrum hostilem exercitum confecisset, publicoqve nomine Hansicæ societati vim intulisset, deficiebat hic vel facultas vel autoritas vim eam repellendi. Vid. Dn. Conring. *exercitat. de urbib. German. numer. 98. seqq.* Matth. Stephan. *de jurisdict. lib. 2. part. 2. cap. 3.* Limnæ. *l. 7. jur. publ. cap. 1. num. 59. seqq.*

XXI. Cæterùm in fœderibus istis, qvæ propter commercia ineuntur, haud vulgaris qvæstio est, an populo alicui liceat cum alio populo pacisci, ut is populus certi generis fructus, qvi alibi non nascuntur, sibi soli vendat. Affirmat Grotius, sed cum hac limitatione, si is qvi emit populus paratus sit aliis vendere æqvo precio, qvod aliarum gentium non intersit, à qvo emant ea, qvæ vita desiderat, lucrum autem alteri prævertere non sit illicitum, maximè ob causam promissæ defensionis & faciendorum eo nomine sumptuum. *l. 2. de jur. bell. ac pac. cap. 2. in fin.* Hæc ita Grotius ut Hollandus in gratiam conterraneorum pacta ejus-

modi

modi qvàm sæpisſimè cum exteris ineuntium & qvandoqve exprimentium. At ſi principia Grotii attentiùs conſideres, num ſtare cum illis pacta talia posſint, meritò dubitare licebit. In *eod. cap. ſub num. 18.* ſuppoſuit jus commune omnibus hominibus ad actus tales, qvibus ea comparantur, ſine qvibus vita commodè duci neqvit. Atqve id jus tàm firmum facit, ut nec lege latâ nec conſpiratione impediri qveat, propterea, qvod tale impedimentum naturæ ſocietatis contrarium ſit. Poſito hoc, contrarium erit etiam pactum impeditivum cum aliâ gente initum, qvod in reſpectu cæterarum gentium non multum abeſt à conſpiratione. In ſeqventibus ſub *num. 22.* ſtatuit, in actibus illis, qvos populus aliqvis externis promiſcuè permittit, ſi unus populus excludatur, ei fieri injuriam. At in actibus illis, qvibus neceſſaria ad vitam comparantur, major inferetur injuria, ſi uni alicui populo permittantur, reliqvo humano genere prorſus excluſo. Et hinc ſcilicet videat Grotius, num cum libertate commerciorum, qvam tantoperè it aſſertum, conciliari poſſit pactum de fructibus non alii vendendis qvam qvocum convenit.

XXII. Illud inſuper difficilem reddit ſententiam Grotii, qvod per eam monopolium qvoddam inducatur. Qvod enim in civitate eſt civis, ſibi uni rerum vendendarum poteſtatem vindicans, id in humano genere & inter gentes eſt populus ſimile qvid affectans. At in monopoliis multa & magna latet iniqvitas & injuſtitia, qvam acriter perſtringit Tiberius Decianus *tract. crim. lib. 7. cap. 21.* Hermann. Lather. *de cenſ. lib. 3. cap. 14.* Et propterea non civili tantùm Romanorum jure prohibita ſunt, *l. un. C. de monopol.* ibiqve Sichard. ſed etiam juri gentium repugnant, cùm publicè interſit, ut à qvovis mercimonia liberè exerceantur. Anton. Perez. *Cod. de monopol. num. 2.* Et qvanqvam id, qvod in monopolio injuſtum eſt, ſuſtuliſſe videatur Grotius, dum non aliter pactum, de qvo nunc agimus, admittit, qvàm ſi is, qvi emit, populus paratus ſit aliis vendere æqvo precio, tanta tamen eſt humani ingenii malitia, ut in lucro captando ſæpè nec modum nec finem ſibi præſcribi patiatur. Et profectò difficile eſt, mercatorem agere ſine fraude, optimè rem iſtam deli-

 nean-

neante Scripturâ, *Ecclesiastic. XXVII, 1.* Dum igitur, qvi soli rei vendendæ potestatem habent, ἐπὶ τὸ πλεῖστον justo precio contenti non sunt, sed id pro arbitrio suo ponunt, sublesta facilè fieri poterit fides promittentis, se æqvo precio merces emptas revendere velle. Nec enim tum inter populos qvisqvam arbiter erit & moderator, qvi exerrantem coërcere intra metas justi & æqvi possit, qviq; precium constituat, uti in permissione monopoliorum inter privatos reqvirit Grotius *lib. 2. cap. 12. num. 16.* Et hinc igitur tentabimus contra Grotium, pacta ejusmodi inter gentes minimè probari posse, & libertatem commerciorum maximoperè impedire.

XXIII. Belli vel inferendi vel avertendi causâ qvæ ineuntur fœdera, aut æqvalia sunt, aut inæqvalia, distingvente ita Proculo JCto *in l. 7. §. 1. ff. de captiv. & postlim.* Inæqvale, iniqvum dicit Waremundus ab Ehrenberg *de fœderib. lib. 1. cap. 4. num. 3.* iniqvè prorsus, cum non ita dicatur in respectu ad justitiam, sed propter obligationis imparitatem, qvæ ex se nullam involvit iniqvitatem. Inæqvale fœdus describit Proculus, qvando tabulis comprehenditur, ut is populus alterius populi majestatem comiter conservet, sive ut Grotius explicat, qvando tenetur populus operam dare, tùm ut alterius populi imperium in tuto sit, tùm ut dignitas, qvæ majestatis nomine significatur, ei constet, *lib. 1. de jur. bell. & pac. cap. 3. n. 21.* Ubi qvidem in disqvisitionem principaliter venit illud, num inæqvale ejusmodi fœdus propriè fœdus dicatur, sive qvod eodem recidit, utrum in tali fœdere, qvi plus promisit, majestatem suam ipse retineat salvam. Sed eâ de re anticipavimus dicere *exercitat. 1. num. 33. 34.* ad qvæ tamen simul legi possunt ea, qvæ notavimus ad Grot. *lib. 1. cap. 1. num. 31.* Qvem autem post Carolum Sigonium & Gvilielmum Budæum fœderis æqvalis & inæqvalis apud Romanos effectum ponit Jacobus Menochius *de A. J. Q. l. 1. q. 100.* Exulibus Romanis in civitates æqvo fœdere junctas migrare licuisse, non licuisse in eas, qvæ inæqvali fœdere junctæ fuerunt, iste ex Polybii & Livii verbis *num. 9. & 14.* citatis probari sufficienter neqvit. Nec enim sub perfugis & fugitivis, qvos memorat Livius, exu-

les

les intelligi possunt, ut maximè fugæ vocabulum JCtis qvandoq; pro exilio dicatur *l.4.§.4.ff. de re militar. l.5. ff. de interdict. & releg.* Potius enim est, ut perfugas illos dicamus, qvi ad hostes confugiunt, fugitivos verò servos, qvi dominos relinqvunt, & ad aliam gentem confugiunt. Vid. Marcell. Donat. *in Liv. lib.30.* Et omninò hic locum habet, qvod ait Perseus apud Livium: *Qvid attinet cuiqvam exilium patere, si nusqvam exuli futurus est locus.* & qvod Aristides habet Leuctrica secundâ: *Commune jus hominum exules recipere. præsertim postqvam in exules nullum amplius jus est civitati.* Vid. Hug. Grot. *l.2. de jur. bell. & pac. cap.5. n.25. & l.3. cap.20. num. 41.*

XXIV. Circa personas, qvæ fœdere jungi possunt antiqva est, sed sæpiùs iterata & nostro etiam hoc seculo agitata controversia, utrum cum infidelibus arma jungere & fœdus inire liceat: eâqve de re superiore maximè seculo disputatum fuit, postqvam Franciscus I. Galliarum Rex Turcas in auxilium vocasset, & in Christianum orbem singulari fœdere excitasset. Hugo Grotius operosus est in enodandâ hac qvæstione *lib. 2. de jur. bell. & pac. cap.15. num.8.* Præmittit autem in jure naturæ rem eam dubitationem non habere. id jus enim omnibus hominibus ita commune esse, ut religionis discrimen non admittat. Dubitationem tamen fortè movet illud, qvod nec natura qvidem omnis expers sit religionis, & qvod naturalis adeò theologia contradictionem & dissensum ab notitiis & principiis innatis haudqvaqvam admittat. Paganismum autem & Muhammedanismum Religioni non Christianæ tantùm, sed naturali etiam repugnare, norunt illi, qvi dogmata diligentiùs examinarunt, ut adeò speculativè saltem in ipsâ naturâ aliqvod religionum discrimen sit attendendum. In genere morum, qvanqvam homo homini ita junctus sit, ut propter humanitatem nemini officia vitæ deneganda sed omnibus benefaciendum sit, suadet tamen natura, ut huic potius qvàm illi nos committamus & familiares reddamus, & per conseqvens, ne nimium confidamus aut arctiori fœdere jungamur illis, qvi pessimè nobis cupiunt, qvidq; funditùs nos deletos maximè optant. Et in terminis fortioribus

ſvadet natura, ne adverſus fratres noſtros, qvales Chriſtiani inter ſe ſunt, certè eſſe debent, excitemus communem fratrum omnium & juratum hoſtem, ut maximè armatâ manu ab illis infeſtemur.

XXV. Pergit Grotius ad jus divinum, atqve ex eo maximè ventilari hanc qvæſtionem dicit, tùm à Theologis, tùm à JCtis. Id verò uti non facit ſine exemplo, ita hoc maximè operam dat, ut non ſine ingenio id feciſſe videatur. Sed hoc tamen ferendum planè non eſt, qvod legem veterem Moſis & novam Evangelii fingat, ſtrenuè in hoc Socinianizans & ſvave Evangelii nomen in triſte & rigidum legis juſſum convertens. In citatis Scripturæ dictis explicandis qvalem ſe geſſerit Grotius, animus nunc non eſt, prolixè examinare, nec ipſa etiam dicta, qvæ hinc inde afferri ſolent, ventilare hîc neceſſarium eſt. Obvia enim ſunt, qvæ ex Theologis noſtris Gerhardus *loc. de Magiſtrat. num.154. ſeq.* ex JCtis Matth. Cuno *de pact. lib.1. c.22. num.74. ſeqq.* ad interpretationem eorum contulerunt. Id generaliter obſervandum eſt, non omnia gentis Judaicæ præcepta aut inſtituta unicuiqve Reipublicæ injungi debere, nec præcepta ejus gentis omnia populos alios ita adſtringere, ut, ſi non obſerventur, protinus peccatum in conſcientiâ involvant. Geſſerunt Iſraëlitæ bella ipſius DEI adverſus populos maledictos & rejectos, & qvidem duce & autore DEO, cujus adverſus eas gentes leges bellicæ ita univerſales omnes non ſunt, ut vim ſuam præceptivam ad qvævis bella alia extendant. Et ſic etiam in aliis negociis, qvæ pro ingenio gentis Judaicæ conſtitutæ ſunt leges, ne qvidem ex intentione DEI alios populos obligare debuerunt. uti iſta pluribus expoſui *exerc.3. num.38. ſeqq.* Si qva ergò prohibitio facta eſt Judæis circa fœdera ineunda, probè diſpiciendum eſt, ne qvæ merè forenſia ſunt, cum moralibus & iis, qvæ univerſaliter & perpetuò obligant, confundamus.

XXVI. Oppidò placent ea, qvæ ad deciſionem hujus controverſiæ diſtingvenda monet Gerhardus *d.l. num.156.* Summa eorum hæc eſt, licere neceſſitatis tempore & defenſionis causâ cum infidelibus adverſus infideles alios fœdera facere, dum

no

ne veræ religioni inde aliqvid decedat, nec diffidentia erga Deum animos occupet, adversus fideles autem infideles in fœdus vocare non licere. Ego adhuc plus largiar, nempe non defensionis tantùm causa cum infidelibus adversus alios infideles facere licere, sed etiam ubi oppugnandi & infestandi illi fuerint, vel à fidelibus vel ab infidelibus, atqve sic in genere statuo, adversus infideles si bellum geri oporteat, sive offensivum id fuerit, sive defensivum, posse in exilium vocari infideles alios, aut illis auxilium præstari. Utrobiqve enim adversus infideles pugnatur, qvos justo bello perseqvi nulla religio est; in contentione tamen si dicendum qvod æqvius melius videatur, Christiano nomini magis conveniens videtur, præstare infidelibus auxilium, qvàm ab illis petere. Sicut enim in privatis negociis satius est Christiano, qvocunqve modo litem componere, qvàm magistratûs infidelis judicium implorare: ita in negociis publicis præstat bellum inferendum intermittere, qvàm auxilio principis infidelis intentare.

XXVII. Neqve hinc ergò facere possum cum Limnæo, qvi putat, infidelium arma opponi posse non infidelibus tantùm, sed etiam fidelibus injusto nos bello invadentibus, *in additam. ad capitul. Carol. V. art. 11. verb.* aller Hülff. Enimverò, ut taceam, erroneam esse posse opinionem putantis, injusto se peti bello, illud inprimis huc facit, qvod supra dixi, adversus fratrem injuriam mihi inferentem, non esse concitandum hostem communem & qvasi nativum, præsertim cujus intentio est & unicum votum, utriusqve fratris extremam perniciem qværere, qviqve nullo fœdere obstante fœderato non magis favet, qvàm alteri. Et hoc est scil. qvod Francisci Galliarum Regis famam tàm fœdè maculavit, uti notat ipse Limnæus *ad eand. capitul. ad prolegom. verb.* durch die Wahl *num. 85. seq.* Et fumum vendunt, qvi ex istiusmodi tali fœdere insignes Christiano Orbi utilitates provenire prædicant, qvos inter est Gabr. Barth. Gramondus *histor. Gall. lib. 3.* Non ea est infidelium indoles & mansvetudo, ut Christianæ Religioni incrementa accedere patiantur; & qvam tenuis sit Ecclesiarum Christianarum in Tur-

cleo imperio conditio, pleni sunt historicorum commentarii. Qvam parum autem per suum istud fœdus profecerit Franciscus, ipse fatetur Blasius Monlucius fœderis illius acerrimus defensor apud Lans. *orat. contr. Gall. pag. 345.* Et hinc enim factum, qvod status Imperii Romano Germanici Franciscum non minus atqve ipsum Turcam pro communi Christianorum hoste habendum decreverint. R. A. zu Speyer Anno 1544. §. So achten wir *&c.*

XXIIX. Anteqvam hinc abeamus, illud adhuc disqvirere erit operæ precium, num fœdera etiam successores in imperio obligent. Non obligare, putat Franciscus Cardinalis Mantica *Lucubrat. Vatican. lib. 27. tit. 7. num. 33.* finiri enim fœdus per mortem alterius ex fœderatis, perinde ut societatem aliam *l. 65. §. 9. ff. pro soc. §. 5. Instit. de societ.* Sed enim notat ipse Pomponius JCtus in *l. 59. ff. pro soc.* aliqvam subesse differentiam inter privatas & publicas societates. Facit enim publica utilitas, ut etiam ultra mortem continuetur fœdus, nisi aliud qvid dictum fuerit. Interest scilicet, num personale sit initum fœdus, an verò reale, prout pactum scil. vel in rem vel in personam intervenit. Etsi autem multa sæpè controversia est de interpretatione verborum, in dubio tamen in rem potius pactum intercessisse dicendum est, Gœdd. *de contr. stipul. cap. 9. num. 164.* Thom. Maul. *de homag. tit. 1. num. 11.* Jacob. Menoch, *lib. 3. præsumt. 47.* Animadvertendum tamen pacis causâ constituta fœdera, æterna, belli gratiâ inita temporaria esse debere. Qvod si enim fœderis perpetui causâ bellum in infinitum producendum esset, non societas ea aut fœdus, sed conjuratio pessima appellanda foret, non pacem, sed latrocinandi licentiam & inexplebilem aliena invadendi & deprædandi cupiditatem propositam habens. Petr. Heig. *part. 1. qv. 11. num. 3. 6.* Qvare ut eò melius de perpetuitate fœderis ex verbis obscuris & ambiguis constet, ipsa interdum materia conjecturam suppeditat non improbabilem. Qvod si pares fuerint conjecturæ, supererit, ut favorabilia credantur esse realia, odiosa verò personalia. Hugo Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 16. n. 16.*

XXIX.

XXIX. Pervenimus ad materiam de induciis, de qvâ etsi dici qveant haud pauca, in his duobus tamen præcipuè occupati nunc erimus 1. qvæ sit earum ratio, 2. cui potestas circa eas ineundas competat. Qvod primum attinet, ita eas describit Paulus JCtus *l.19. ff. de captiv. & postlim.* Induciæ sunt cùm in breve & in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant, qvo tempore non est postliminium. Hanc descriptionem exagitat Grot. *de jur. bell. & pac. lib.3. cap.21. num.1.* ductus exemplo Agellii. qvi similem Varronis descriptionem redarguit *l.1. noct. Attic. c.25.* ex eo scil. qvod non in breve semper tempus induciæ fieri soleant, sed qvandoqve in annos viginti, triginta, qvadraginta, etiam centum. Sed enim pro Varrone & Paulo dici potest, duplices statui posse inducias, alteras qvæ fiunt in tempus breve, retento interim sub signis milite, longiores alteras, propter qvas dimittitur exercitus, & castra solvuntur. Prioribus *ἐκεχειρίας* nomen magis convenire videtur, qvam posterioribus. Cumqve aliâs induciarum tempus bello magis qvàm paci annumerari soleat, (qvod bellum per inducias neqvaqvam finitum dici qveat, qvâ ratione Petrus de Anchorano *consil. 88.* vectigalium conductoribus per induciarum tempora non minus, qvam belli tempore succurrendum putat) posterior tamen species induciarum, paci propior est, imò est ipsa pax, sed temporaria, & in bellum resolubilis. Paulus igitur JCtus dum in breve tempus induciarum conventionem determinat, priorem speciem innuisse videtur, qvando scilicet miles adhuc in armis est, paratus ad conflictum, qvamprim[illegible] tempus conventum prælapsum fuerit.

XXX. Qvod attinet definitionem Grotii, qvæ talis est: *Induciæ sunt conventio, per qvam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est*, ad eam duo hæc moneri possunt. Primò, qvod per conventionem definiverit, cùm tamen induciæ potiùs ἀποτέλεσμα sint ex conventione resultans. Omninò enim distingvenda sunt à se invicem, qvæ per modum causæ & effectus se habent. Dum igitur induciæ considerari debent, ut sunt in esse deductæ, non possunt definiri per modum deducen-

di,

ei, qvemadmodum malè, definitur transactio per conventionem, cùm aliud sit modus transigendi, aliud ipsa transactio: aliud modus decidendi aliud ipsa decisio. Hahn *in Wesembec. tit. de transact. num. 2.* Alterum est, qvod non videatur convenire induciis ad annos centum factis, qvas tamen dum Varronis & Pauli definitionem impugnat Grotius, pro veris induciis necesse est ut habeat. Qvis enim bellum manere credet, milite omni dimisso? ubi novo opus est exercitu, si bellum redintegrandum fuerit, qvis interea bellum durare existimabit? Rectius igitur tales induciæ pro ipsâ habentur pace. Et qvod genus attinet, dum bellum Grotius *lib. 1. c. 1. num. 2.* per statum definivit, potuisset eodem modo inducias per statum definire, qvod sc. sint status belligerantium, qvo manente bello bellicis actibus ex conventione ad tempus abstinent. Brevius: Induciæ sunt cessatio ab actibus bellicis utrinq; ad tempus conventa.

XXII. Dixi ex conventione eas oriri, & qvidem conventio ea expressa esse debet, cùm non omne otium in bello inducias faciat. Et hinc consentire neqveo Elberto Leonino, qvando *lib. 2. emendat. cap. 6. num. 4.* induci ait inducias non solum expressâ, sed etiam tacitâ conventione, & utrobiqve effectum hunc esse, qvod liber sit utriusqve partis conventus, quodqve ultro citroqve ire redire, & verba jungere sine periculo liceat. Ego enim tacitam talem conventionem cum effectu obligandi in hâc materiâ agnoscere vix possum. & fatetur ipse Leoninus, inducias, qvæ tacitè inducuntur, nullam obligationem continuationis aut observantiæ habere, nec procedere ad ulteriora spacia, qvàm qvæ spontaneâ voluntate partium qvieti tribuuntur. Ex qvo seqvitur, non tàm ex tacitâ conventione potestatem hanc ultro citroqve eundi & securè colloqvendi nasci, qvam ex conniventiâ & nudâ permissione partis adversæ. Et qvanqvam fieri possit, ut qvæ expressâ conventione olim initæ fuerunt induciæ, utrinqve de facto prorogentur, dum neutra pars ad actus bellicos redit, nego tamen, ex hâc prorogatione obligationem nasci, qvæ repetitionem actuum bellicorum prohibeat, qvo minus ea, qvandocunqve libuerit, fieri possit. Tacitæ

tæ igitur induciæ, qvas ſæpè ita nominant Hiſtoriarum ſcriptores, non propriè dictas denotant inducias vim obligandi continentes, ſed mutuam belligerantium qvietem ex facto ita contingentem, dum neutra pars alteram laceſſit, ſed utraqve magis opportunam occaſionem expectat. Qvod ſi verò conventum fuerit, etiam poſt tempus induciis præfinitum, non licere bellum repetere, niſi factâ indictione, qvalem caſum proponere videtur Fr. Cardinal. Mantica *Lucubr. Vatican. l. 27. tit. 2. num. 15.* tacitè qvidem tùm prorogari poſſunt induciæ, iſtæ tamen propterea in pacem nō commutantur, uti vult Mantica, ſed utriqve parti adhuc relicta eſt, qvandocunqve bellum repetendi libera facultas. Et hæc qvidem de primo qvæſito.

XXXII. Secundum erat, cui poteſtas faciendi inducias competat. Ad cujus deciſionem Doctores noſtri imprimis conſiderant *l. conventionum 5. ff. de pact.* cujus hæc ſunt verba finalia: *Publica conventio eſt, qvæ fit per pacem, qvoties inter ſe duces belli qvædam paciſcuntur.* Ita legitur in Pandectis Florentinis, qvos ſecutus Hugo Grotius *de jur. bell. & pac. l. 2. cap. 15. num. 1.* publicam conventionem per exempla expoſitam eſſe contendit, eorumqve primum de pace faciendâ conventionem, alterum de re aliâ ſi qvid inter Duces belli pactum fuerit, hîc obſervat. Add. Colleg. Argentorat. *de pact. num. 9.* Alii verò, qvod verba illa, *per pacem*, idoneum ſenſum non habeant, ita legere malunt. *Publica conventio eſt, qvæ fit per Principem, aut qvoties inter ſe &c:* Franciſc. Duaren. *ad d. l. 5.* Arnold. Vinnius *de pact. cap. 2. num. 1.* Illis multum favet verſio Græcorum, qvi conventiones publicas exponunt τὰ περὶ ἐξουσιαστῶν καὶ ἡγεμόνων ἐθνῶν πρὸς εἰρήνην τυχὸν ἢ ἄλλό τι τοιοῦτον, qvæ fiunt per principes aut duces exercitus, veluti ad pacem aut aliud qvid tale. Sed Elbertus Leoninus *d. l. 2. emendat. cap. 6. num. 8.* præfert lectionem Florentinam, qvod non tàm ex qvalitate perſonarum (cùm non omnis, qvæ per principem fit, conventio publica ſit) qvàm ex genere & naturâ negociorum de qvibus agitur, petenda ſit conventionis publicæ deſcriptio.

XXXIII. Utraqve lectio Ducibus belli potestatem largitur conventionem publicam de rebus ad publicam rem pertinentibus ineundi, sed nimis generaliter. De induciis ergò dum qværitur, non omnium eadem est responsio, uti videre licet apud Fr. Duaren. *ad d. l. 5. circa fin.* Helfr. Ulr. Hunnium *de pact. cap. 2. qv 2.* Arn. Vinn. *de pact. cap. 2. num. 6.* Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 3. cap. 22. num. 8.* Elbert Leonin. *d. l.* in hoc tamen omnes conveniunt, eas inducias, qvæ necessitatem aliqvam habent, qvæve breviori tempore includuntur etiam à Duce belli concedi posse, longiores non posse concedi ab alio, qvam ipso illo, cujus auspiciis bellum geritur. Et rectè. Supra enim dixi, longiores inducias, qvæ ad annos decem, viginti, triginta &c: ineuntur paci proximas esse, & nihil omninò differre, nisi qvod non sint perpetuæ. At in seqventibus dicemus, pacem confici non posse nisi ab eo, qvi rerum summam tenet. Breviores autem, qvæ tempori inserviunt, & repentinæ sunt, ad pacem referri neqveunt, atqve idcircò earum concedendarum potestas Duci exercitûs deneganda non est. Matth. Cuno *de pact. l. 1. c. 22. num. 116.* Qvantum autem tempus ad breviores ejusmodi inducias, ut à ducibus concedi possint, reqviratur, definiri exactè neqvit, & ipsorum ferè ducum arbitrio relinqvitur, qvi de voluntate suorum constituentium præsumere possunt præ cæteris omnibus facillimè. Communiter autem si sepeliendorum cadaverum gratiâ induciæ petantur, denegari illæ ab exercitûs Duce neqveunt. Sic etiam dari qvandoqve tales solent obsessis, ut de deditione faciendâ tempus deliberandi habeant, qvanqvam sæpè etiam denegari illæ soleant pro ratione statûs bellici, & qvatenus longius vel propius absint hostium copiæ auxiliares liberandæ urbi destinatæ. Aliàs ubi de summâ rei omninò pugnandum est, & jam æqvis viribus ad conflictum parati sunt exercitûs, inducias ad qvatuor menses pacisci non est potestatis imperatoriæ; id enim tempus hoc casu nimis longum est, neqve id impune fuit Argivorum & Lacedæmoniorum ducibus apud Diodor. Sicul. *lib. 12.*

XXXIV. Restat tandem ut qvomodo bellum finiatur,

bre-

breviter & pro ratione instituti nostri videamus. Non alia autem ejus finiendi ratio suppedit, qvam qvæ fit per compositionem pacis. Ejus rei potestas qvin ad principem & summum Reip. gubernatorem pertineat, nemo est, qvi dubitat. Penes qvem enim belli decernendi & gerendi est potestas, penes illum etiam finiendi ejus potestas esse debet, non tantùm qvod publicâ ad hunc rem opus sit autoritate, sed etiam ideò ne Resp. aliqvid detrimenti patiatur, & ut sciat, qvi ad clavum Reip. sedet, qvantum communi bono accedat vel decedat, cùm nec publica qvidem transactio fieri possit, nisi dato aliqvo, aut retento, aut promisso, non minùs qvam privata *l. 38. C. de transact.* Hinc enim tantâ cum curâ & circumspectione hodiè conficiuntur pacis tabulæ, & ad singula verba hærent animi concipientium, ne fraudulenta ex illis aliqvando exsculpi possit interpretatio, neve plus scriptum qvam conventum inveniatur. Horum omnium summa à principe petenda est, illiqve referenda vicissim partis adversæ postulata, ut controversiis omnibus ultro citroqve sopitis & transactis plena tandem obtineri qveat pax & concordia.

XXXV. Posito jam, ad principem spectare pacis conficiendæ rationem, facilè hinc patet, omnes alios Reip. proceres & ministros eâ potestate destitui, & ipsos etiam belli Imperatores. Hîc verò contradicunt nobis, qvi in *l. 5. ff. de pactis* lectionem primam supra num. 32. à nobis memoratam retinent. Sed qvia alii hanc lectionem non admittunt, & hinc dubia fit textûs interpretatio, neqve ex jure Romano fontes juris publici universalis petendi semper sunt, potius est, ut ad rationes animum intentum habeamus, qvibus utuntur. Sed & illæ maximam partem ex jure Romanorum privato petitæ sunt. Distingvunt nempe, utrum Duci belli administratio belli libera summaqve rei commissa sit à Republ. an verò liberum de bello gerendo mandatum non habeat, ut priori casu pacem facere cum hoste duci belli liceat, posteriori non liceat. Priori enim casu æqviparari ducem belli procuratori, qvi mandatum habet cum liberâ, posteriori casu illi, qvi mandatum habet

qvidem & generale etiam habet, sed sine liberâ. Vid. Hunn. *de pact. cap. 2. qvæst. 2.* Add. Duaren. *d. l.* Ego cùm videam, distinctionem mandati generalis cum liberâ & sine liberâ parum hodiè Doctoribus probari, vid. Johan. Vaud. *lib. 1. qvæst. 47. num. 5. 6.* Bachov. in Treutler. *vol. 1. disp. 27. thes. 5. lit. B. C.* Franzk. *tit. de procurator. num. 41.* Arn. Vinnius *ad §. 42. Inst. de R. D.* parum etiam roboris & firmamenti inde accipiet ejus ad duces belli applicatio. Et rectè negat Bachovius *d. l.* generali mandato cum liberâ omnia contineri, qvæ ex mandato speciali expediri possunt. Recteqve hinc concludimus, procuratorem ad agendum etiam cum liberâ & generali administratione non posse transigere vel pacisci, cum Augustino Barbosa *ad c. contingit 3. X. de transact.*

XXXVI. Qvod si ex civili Romanorum jure argumenta colligere velimus, fortius omninò videtur illud, qvod petitur ex *l. transactionis 8. C. de transact.* ubi deciditur, frustra transigere eum, cui causæ actio, non decisio litis mandata est. Qvaliter enim se habet in bellis, ut ita dicam, judicialibus mandatum de agendo, taliter se habet in bellis publicis mandatum de belligerando. Atqvi istud in se non continet potestatem transigendi. Ergo nec hoc, qvippe qvod pacificatio nihil aliud sit, qvam belli transactio & compositio. Ad hoc argumentum frustra regerit Hunnius *d. l.* procedere id à disparibus, nec se habere bellum ad pacificationem sicut se habet actio ad transactionem, belli finem esse pacem, actionis finem non esse transactionem, nec enim ad id agi ut transigatur &c: Enimverò nec belli qvidem finis principalis est pax, sed ut id, qvod nobis abest, proseqvamur, sive jam id fiat per pacificationem, sive per detractionem armorum, sive per defatigationem partis adversæ, ut arma ipsamet abjiciat. Pax ipsa si finis est belli à belligerante intentus, cur pacem, qvam habet, frangit ipse & bellum incipit? Non igitur pax ex se principaliter, sed recuperatio rei ablatæ, aut defensio rei nostræ intenditur, qvi idem scopus est actionis in judicium deductæ. Ex qvo liqvet, non esse inane argumentum à potestate transigendi procuratori denegatâ, ad potestatem

paci-

pacificandi denegatam Ducis exercitus. Qvod si porrò qvis attendere velit, exiguam sæpè cognitionem habere belli duces earum rerum, propter qvas geritur bellum, sæpè etiam armis tractandis etsi habiles sint, rebus aliis gerendis minimè idoneos esse, facilè intelliget, non posse utramqve potestatem semper in unâ personâ combinari, tantum abest, ut sub generali de belli administratione mandato etiam liberrimo, potestas transigendi & pacificandi comprehendatur. Ex qvibus omnibus id tandem seqvitur, belli ducem, nisi speciale mandatum acceperit, pacem constituere non posse, sed totam hanc potestatem ad majestatem, cujus nomine geritur bellum, pertinere, uti rectè concludit Matth. Cuno *de pact. cap.22. num.111.*

XXXVII. Qvandoqvidem igitur inter jura majestatis hoc non est exiguum, & exhinc principi soli attribuendum, non ineptè nunc qværitur de principe fœderato, utrum & ille pacem cum parte adversâ inire possit, posito, talem fuisse fœderis conditionem, ne liceret de pace convenire cum hoste, nisi ex confœderati consensu. Bodinus hîc probri insimulat, & multis contumeliis onerat Germaniæ Principes, qvod non attento fœdere cum Henrico Galliæ Rege inito pacem fecerint cum hostibus. *lib.5. de Republ. cap.ult.* Ei ex professo respondent Petrus Heigius *part.1. qvæst.11.* Dominic. Arumæus *de jure publ. vol.1. diss.27.* Waremund. de Ehrenberg *meditam. pro fœderib. lib.1. cap.2. num.183. alii.* Qvod rem ipsam attinet, ita sentio, malè & tantùm non proditoriè agere eum, qvi fœderato suo inscio & invito contra pactum conventum cum hoste pacem init. Sed id tamen suas patitur exceptiones. Incidere enim justissimæ causæ possunt cur bello finis imponi debeat, atqve eas tùm explicare tenetur fœderatus suo confœderato. Qvi si consentire renuit, præfe-

qvàm bonis conditionibus eidem reconciliari. At hoc ab ipsâ humanitate alienum est. Fieri potest, ut fœderatus viribus ita dejectus & exutus sit, ut planè inutilis sit confœderato suo, & nullum illi amplius ex fœdere surgat commodum, num propterea, qvod ille consentire renuit, omnes repudiandæ sunt conditiones pacis, qvæ ab hoste impetrari possunt? At, qvemadmodum necessitas non habet legem, ita nec contractum sustinet, si fœderatus gravissimo casu pressus neqveat satis conventis facere. Alberic. Gentil. *de jur. bell. lib. 3. cap. 24.* Poterit igitur hoc casu etiam invito socio pacificatio iniri, inscio tamen eo non potest, & ad eum saltem finem denunciari debet, ut de fœdere posthac cessante certior esse posit.

XXXVIII. In his & aliis pluribus operosior esse posset nostra diligentia. Sed qvia institutum nostrum non est totas & integras per singula capita explicare materias, ea tantùm, qvæ ad subjectum, hoc est, principem spectant, & qvatenus spectant, plerumqve selegimus; nec in his tamen prolixiores esse voluimus, qvàm cathedra ferre solet Academica, sufficienter officio nostro defunctos nos fuisse arbitrati, sicubi pagina nostra non fuerit omni indigna lectione. Unicam adhuc, anteqvam finiamus, subjiciemus controversiam de remissione, qvam facere solent pacem inter se constituentes: an princeps pacem faciendo cum hostibus, privatorum damna atqve injurias ob causam belli acceptas remittere posit? Video hîc Doctores ferè omnes id affirmare, & conspirare in his hypothesibus, id licere principi, si aliter discordiæ sedari & pax haberi neqveat, sed tùm tamen damna data sarcienda esse ab totâ & integrâ civitate. Vid. Matth. Cuno *de pact. cap. 22. numer. 22. seqq.* Fernand. Vasqv. *illustr. qvæst. 4.* Hunnius *de pact. cap. 2. qvæst. 3.* Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 3. cap. 20. numer. 7. 8.* Arnold. Vinn. *de pact. cap. 2. numer. 2.* De priori nullam nunc movebo litem, sed in posteriori sunt qvædam, qvæ me in diversam sententiam rapiunt.

piunt. Ecce enim, multum hic facit occupatio bellica, qvæ est titulus acqvirendi dominii, uti plenius exposui *exercitat.10. num.60.seqq.* Qvod si ergò res bello acqvisita fit occupantis, qvomodo repeti poterit ab hoste, aut cur æstimationem ejus præstare debeat civitas? Ais, repeti posse ideò, qvod bellum ab hoste illatum fuerit injustum, resarciri autem debere à civitate, qvod æqvum sit, ut socii communia habeant damna, qvæ societatis caussa contingunt, iniqvum, ut unus solus aut pauci aliqvi sustineant. Sed enim, uti de justitiâ causæ, propter qvam suscipitur bellum, probabiliter plerumqve disputatur, & hinc utraqve pars justum se gerere bellum gloriatur, ita frustra repeti, qvod bello ablatum est, causabitur alter, à qvo petitur, & sic frustra semper repetetur; Cives autem tum demum resarcire tenentur damna uni civi illata, qvando ea data sunt propter commodum civitatis, saltem speratum, qvomodo rectè petitur æstimatio ædificii combusti aut destructi, ut eò promptior fiat adversus hostem obsidentem defensio, qvomodo etiam facienda est restitutio, si non aliter hostis pacem inire velit, nisi ubi illi cessum fuerit castellum aut villa Titii. Hactenus enim qvia per hoc castellum aut villam Titii pax universæ civitati comparatur, æqvum est, ut Titio detractâ ipsius ratâ, æstimatinonem villæ præstent. Sed ut omnia alia armis & bellicâ manu ablata à civitate damnum passis restituantur, causam, qvæ movere possit, adhuc nullam video. Populationes agrorum & ædium incendia qvod attinet, teneretur qvidem ille, qvi per injuriam damnum dedit, istud resarcire, cùm in his qvoqve bellicis actibus, nisi temperamentum adhibeatur, multa committatur injuria, uti notat Grotius *de jur. bell. & pac. lib.3. c.12.* sed qvia moribus gentium licentia ista omninò impunis est, & difficile est, qvo jure qvâve injuriâ damnum datum sit, de-

quæstion. 1. Qvæ cùm ita ſint, utriqve parti id deniqve utile erit & conſultum, ut per amneſtiam generalem, qvicqvid damni datum eſt, utrinqve compenſentur, & per amicam pacis compoſitionem in mutuam charitatem animi civium coaleſcant.

Da pacem, DOMINE, in diebus noſtris.

MArte vel arte juvat Generoſum extendere Nomen,
Qvò majus Generi conſtet in orbe decus.
Lætamur meritò tantas ſupereſſe columnas,
Alma qvibus patriæ nititur usq; ſalus.
Te Patriæ natum, SCHICKI, Themis ipſa loqvetur,
Cùm ſtudiis tribuet munia digna Tuis.
Sic nunqvam Juris ſtudium tractâſſe pigebit,
Dummodò cultorem præmia grata manent.

MICHAEL WENDELERUS,
SS. Theol. D. P. P. & h. t. Academiæ Rector.

Aſſi-

ASsiduam ſtudiis operam qvod navet, & omne
In libris tempus conſumat SCHIKIVS, omnes
Qvotqvot eum norunt, uno ſunt hâctenus ore
Confesſi, & probat hoc ſpecimen legale, qvod edit
Cunctorum applauſu, Themidos qui ſacra freqventant.
Macte tuâ virtute! Deus det carpere fructus,
Quos exopto Tibi, tua quas induſtria poſcet.

JOACHIMUS MERGER/
D. & Prof. Publ.

NObilis ingenii nunc monſtras optime SCHICKI
Dotes: ſit felix conatus proſper & omnis!

Gloriam veræ Nobilitatis aſſiduis Studiis raro exemplo ſectanti tam mente gratulabundus his paucis laborum fructus mille precabatur.

WERNERVS THEODORVS MARTINI,
D. Pand. P. P. Ser. Elect. Sax. à Conſ. Appel. Curiæ. Prov. Conſiſt. Elect. & Scab. Adſeſſor.

QVod SCHIKI nunc juridicas ſat gnaviter artes
Excolis, augurio proſequor ipſe bono.
Iſte labor Tibi lætitiam quandoq; & honorem,
Exq; manu Themidis digna brabea dabit,
Qvæ non ignis edat, non invidioſa vetuſtas
Deterere ac triſti perdere ſorte queat.

Benevolentiæ conteſtandæ cauſa hæc appoſuit
MICHAEL FRIDERICUS LEDERERVS,
J. V. D. & P. P.

ABditus excelſi ſcrutator in ardua juris
Aſſiduâ Themidos culmina mente colis;

DUm, SCHICKI, Pacis docto jus discutis ore,
Lætitiam summam concipit ipsa Themis.
Namque Tuum cernit jam nunc prodire laborem,
Omnibus & gratum vota referre pia.
Hinc meritò pleno quoque jam FELICITER ore
Acclamo, & cœptis prosperæ fata precor.

In honorem Generosi Dn. Schickens,
Fautoris honoratissimiq; de-
properabat Lips.
GODOFREDVS Strauß/
J. V. Licentiand.

PHilosophos inter, quis CONSILIARIUS esset,
Miscebas, SCHICKI, prælia docta satis.
Nunc MAIESTATIS libuit proponere *Jura*:
Ergo Te *Major jure* seqvetur honos.

Generoso ac Nobilissimo Dn. Respondenti
L. M. L. destinebat Wittenbergæ.
M. JOHANNES Peißler.

Σύκλω ψεῦ σύκλω, σκάφλω σκάφλω σχικλείω,
Πάντων τοίνυν φίλων δῆπυ πολυφίλτατε ΣΧΙΚΕ,
Εὐγενὴς ἐκ γενετῆς μόγις ἐρχόμενοι κλέος ἕξει
Ἄγλαον, ἐυλ᾽ ἀρετὴ δὲ ἐν ἀνθρώποισιν ἀρίστη
Εὐγενίην αὔξῃ, φανεῖ λαμπρῶς διὰ παντός,
Ἕκτορος, ἐσθλὸς ἀνήρ, ἐνὶ θυμῷ ῥήματα φράζεις:
Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων
Πατρίδι ἐν γαίῃ ἂρ ἔσῃ Ἄτλας ἄριστος.

Boni ominis ergo hac generoso Nobilissimoq;
Dn. Schicken Juveni ad magna nato,
Fautori suo plur. honorando ad-
jicere voluit
M. JACOBUS Röser.

QVas Tibi divitias multo sudore pararis
Doctrinæ, è Cathedrâ Nos docuisse cupis,
Scilicet exponis, SCHIKI Generose, Potestas
Summa quid, & secum qualia jura ferat.
Gratulor hos ausus, & supplex Numen adoro,
Vt quoqve pro meritis, præmia digna feras.
GOTTFRIDVS CLVS, Zitta Lus.

Juveni

Quà generosâ ſtirpe, quâ rarâ virtute
& eruditione verè nobili Die-
terico Schiken.

Cum alterâ vice, non ſine laude, diſputaret, debiti ho-
noris ergò hæc ſcribebat.

GOTTFRIED HILLMANN.

n. p.

DVm de fœderibus, doctè doctiſſime Schiki,
 diſſeris, en Phæbus captus amore tui,
Qværit perpetuo conjungi fœdere tecum,
 His gaudens votis porrige quæſo manum.
Nam Tibi ſuccreſcet, quamvis jam laude vigeſcas
 Ob dotes mentis, gloria, major honor.

FOrtis *ut exiſtas, Sophie* munimina ponit.
 Ut vincas jurat fœdera *ſancta Themis :*
Murcia pigra abs Te non impetrat otia belli;
 Nec niſi ſupplicibus ſpem dare pacis *amas.*
Sic Majeſtatis *potis es benè* jura *tueri*
 Sic hôc *Te major* dogmate *victor ovas.*

GOTHOFREDVS WAGNERVS,
Jud. Elect. Qværſt. Witteb.
Actuarius.

INgenium pandis : ſplendens hos Aula labores
 Penſabit, nomen tollet ad aſtra Dice.

GODOFREDUS FRIDERICUS Reuter/
Dresdâ Miſnicus.

---

*A*Lterius Virtute Tibi non ſufficit eſſe
Conſpicuum; ſed marte tuo florere laboras.

GRatulor meritò, tuo labori
Succeßus precor & simul secundos.
RUDOLPH-FRIDER. SCHMIDT.

DUm de FOEDERIBUS docto nunc differis ore,
Gratulor en! Cœptis, Dulcis Amice, Tuis,
Utq; DEUS studijs porrò benedicat ab alto,
Exoptat simplex mensq; manusq; TUI
JOHANNIS CASPARIS à LOSS.

DAs / was von hohen Ahnen stammt /
Beliebet nur die Trefligkeiten/
Die Mars und Phöbus giebt den Leuten/
Die Adlich-kecker Muth beflammt.

Du zeigest auch/ mein Freund/ anietzt/
Daß du erbuhlt der Aganippen
Erwünschte Gunst/ und Themis Klippen
Erklimmt/ daß Tugend dich erhitzt.
Ernst Friedrich Katte.

MI SCHICKI, tua Musa DEO, magnisq; Patronis
Cordi est. Nam peperit Jova confisa, favorem
Multorum. Hinc eadem nunqvam confusa manebit,
Et sperare Tibi largissima dona licebit,
Qva DEUS, atq; favor tibi partus ubiq; paravit.
JOH. CHRISTOP. à PONIKAU.

IN medio *Virtus* vulgo consistere fertur,
In medio cùm stet, cur ea summa petit?
An falsò dictum? medium tenuere beati!
At tu non medium, *Clare Schickene,* tenes.
Semper summa petis, semper plus tendis & ultra,
Esse negas medius, summus ut esse qveas.
Sed benè! Macte animo, Themidis prænobile membrum
In medio virtus splendida summa petit.
Enthea Te inflammat virtus, nulliq; secundus
Nobilis, hac demum *nobilitatus* eris.
Qvæ Te, jampridem commendat gloria vivum
Major post cineres illa futura tuos.
JOHANNES AUGUSTUS à SPOOR.